



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 166. Literæ Æthiopum Regis ad Eugenium Papam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

dis nomine Constantino spondet, se au- Sæcul. XV.
 xilia illa, & subsidia, quæ Joanni Palæolo- A.C. 1441.
 go Imperatori pro defensione civitatis Con-
 stantinopolis pollicitus est, submissurum.
 Tandem subjungit: Nunquam Romanam
 Ecclesiam & Apostolicam Sedem illi desu-
 turam esse dubitet, eidem debitam, & devo-
 tam reverentiam exhibendo, dum etiam per
 semitam justitiæ inceserit, atque unionis hu-
 jusmodi sacrosanctæ necessarium complemen-
 tum tam fideliter quam potenter adhibuerit,
 quæ unio, inquiebat Papa, illius (scilicet
 Joannis Imperatoris) culpa & tepiditate
 impleri non potuit.

§. CLXVI.

*Litteræ Æthiopum Regis ad Eugenium
Papam.*

Exstant quoque litteræ per Æthiopiæ *Ibid. p. 1214.*
 Regem ad Eugenium Papam datæ,
 quas Florentiam deferendi negotium a
 Rege illo cuidam Æthiopum Abbati, cui
 nomen Nicodemus, demandatum erat.
 Postquam hic Legatus ad alloquium ad-
 missus, in quadam Congregatione die se-
 cunda Septembris celebrata auditus erat,
 significabat, Regem suum scripsisse, quod
 ipsemet pro unione cum Ecclesia Roma-
 na feliciter perficienda in Italiam venturus
 esset. Huic tamen unionis desiderio o-
 ptatus respondisse exitus haud videtur.

Hist. Eccles. Tom. XXVII. S s Re-

Sæcul. XV. Rescripsit vero Pontifex Regi die quarta
 A.C. 1441. Octobris, hasque literas Angelus Mauro-
 cenus Sciensis Insulæ Gubernator de-
 tulit.

§. CLXVII.

*Epistola Patriarchæ Alexandrini ad
 Eugenium Papam.*

Labbe Conc. Eodem tempore Philotheus Patriarcha
 20.13.p.1174 Alexandrinus, recepto unionis Græ-
 corum decreto, ad Eugenium Papam lite-
 ras dedit, eidem hancce concordiam gra-
 tulaturus, & in communis quoque læti-
 tiæ partem venturus. Hujus Epistolæ
 principium sane notatu est dignissimum.
 Ita Patriarcha alloquitur Eugenium, *Pa-
 ter religiosissime, beatissime, justissime, terre-
 stris Angele, ac cælestis Homo, qui cum gra-
 tia Dei indutus cum sacra veste ornatus,
 boni gregis optime Pastor, qui doctrina tua
 irruentes lupos ab ovibus universalis ovilis
 depellis Christi nostri benefactoris patrocinio,
 deinde Principis Apostolorum Petri, & pe-
 tra fidei, caput omnium Christianarum Ec-
 clesiarum, qui ex Christo JESU Domino no-
 stro sacram potestatem accipiens Papa ma-
 gnæ Urbis Romanorum, & protector cetero-
 rum Patriarcharum &c.* Dein unionem
 feliciter sancitam magnificis encomiorum
 titulis deprædicat, additque, *se scripsisse
 literas ad Joannem Palæologum Impera-
 torem,*